# In Nomine Domini Amen

# STATUTA

## Culmensis Academiae

Cujus Erectionem Illustrissimus olim & Reverendmus VINCENTIUS Episcopus Culmensis Anno Domini MCCCCLXXII concessit, & subsequenti immediate Anno MCCCCLXXIII ratificavit Inter Almam Universitatem Cracoviensem Ejusque Rectorem Magnificum ex una, & Prae-Nobilem Magistratum, totamque Honoratam Communitatem Inclytae Civitatis Culmenis ex altera Partibus

Anno Verbi Incarnati 1756

Ad perpetuam rei memoriam.

COMPAGINATA

Statutum est Jus Municipale habens vim Legis, et pro Le=ge habetur. C. Licet de Constit: in 6. l. Omnes Populi ff. de Just: & Jure. & l. Cunctos Populos C. de Summa Trinit:

Quod rationabiliter definitum, & Statutum est, non debet violari Canon: Ecclesiast: 25 q. 2

Reus est coram DEO, qui nititur utiliter Statuta ac definita rescindere, & roborata quolibet ausu violare Can: Loci 35 q. 9

Non est reprehensibile, si secundùm veritatem temporum Sta=tuta quandoq́ variantur, praesertim urgenti necessitate, vel evi=denti utilitate C. Non debet de Consanguinitate.

# Prothasis

Indyta Civitas Culmensis, quondam Hanseatica à prima sui origine, primatum inter Civitates in Prussia obtinens, coq́ ipso ac specialiter ejusdem Civitatis Culmensis Incolarum in rebus agendis ac præordinandis prudentiâ eminens, depositorium Juris Culmensis effecta, cujus nodos ac difficultates solvendi & explicandi Jus & potestatem cum habuerit et habeat, Eiusdem facto ipso usu et exercitio adusq́ gloriari non desinit. Cùm verò suæ inclytæ Civitatis caræ Posteritati, ac totius Provinciæ Pruthenæ æternæ gloriæ pro sua industria consulere, Eidemq́ Viros in Utroq́ Jure optimè peritos, ac in omni Scientiarum genere bene politos, expertos & exploratos providere velit, Modos erudiendæ Juventutis suæ ac vicinarum Civitatum, primò in Timore DEI, qui est initium Sapientiæ, ac deinde in bonis moribus, ac honestis Artibus, ipsaq́ rerum naturalium Cognitione, seu Philosophia usq́ ad Jurisprudentiam inclusivè, quos ott. sui intendere et actu exercere, Majores innovandos ac resumendos censuit, decrevit ac constituit. Quod cum ad optatum effectum se aliter deducturam non posse prævidit, invariabiliter apud se definivit, atq́ sententiavit, quatenus mediante indefesso et non interrupto labore Scholastico, ac inducendo sedulitate Clarissimorum ac Excellmor. Almæ Universitatis Cracoviensis, uti primævæ ac Generalis Regni vicinarumq́ Provinciarum Scholæ, Doctorum et Professorum, sive Magistror., de Anno in Annum, sive de triennio in triennium /: prout necessitas & opportunitas expostulaverit :/ Cracoviâ Culmam conducendor., ibidemq́ fovendorum, atq́ salariandorum, necnon retrorsum Cracoviam reducendorum, et quidem impensis Indytæ Civitatis Culmensis, ad id antiquitùs ex Bonis Scholarum Provisis & præhabitis, novissimè verò non obstante ejusdem suæ Academiæ Affiliatione ad Bononiensem Academiam, nec eidem quidquam derogando, ex quo Bononiensis Universitatis Privilegia, etiam nostræ Universitati Cracoviensi, juxta Statutum Regni sunt communia, per Prænobiles, Nobiles ac Spectabiles Proconsules, Consules, totumq́ Magistratum, ac Honoratam Communitatem dictæ Civitatis Culmensis, Ejusq́ Magnifico nunc, & pro tempore, existente Rectore, perpetuò & inviolabiliter manutenenda conscripsit et compaginavit Statuta

## Statutum 1mum.

## De Conductione et Subsistentia Professo:

rum, Eorumque numero et Qualitate, atque vi-
alibus, triennalis Visitatoris.

Praenobilis Magistratus Culmensis adinventis et determinatis in visceribus suae Civitatis Culmensis Studiorum et Residentiarum Professoralium Domibus, illisque in unum Collegium coadunatis sive coadunandis, atque earum, sive ejusdem conservatione in perpetuum bene provisa, Professoribus diversorum graduum et Scientiarum Cracovia Culmam modo praemisso conducendis, et actu conductis, numerum quinarium, quorum Excellentissimorum Professorum unus saltim sit Presbyter, alter vero Geometra, adimplentibus pro victu eorum sufficienti, et amictu decenti, ac aliis expensis inferius expressis, annuatim florenos bonae monetae Prutheni in summa Mille Octingentos decem, sive Poloniales Ter mille Sexcentos viginti, nempe Professori Jus Utrumque legenti florenos Poloniales in vim praemii, sive Salarii Annui Quadringentos, Legenti Philosophiam Speculativam et Moralem, similiter annuatim florenos Polonicos Quadringentos. Insuper illi, Qui ex his fuerit Rector, pro Rectoratu florenos Centum. Qui vero praedictorum Professorum fuerit actu Presbyter, et Missas proprias diebus festivis et ferialibus in praesentia Studiosorum post egressum de Scholis, aut ex Oratorio, celebraverit, ad quas sive per se sive per alium celebrandas tenebitur, florenos Centum adauget, in posterum meliorationi non praecludendo viam. Rhetoricae et Dialecticae Professori, qui insuper certis diebus et horis, principia Geographiae Juventuti instillabit, necnon Calendarii sive Computus Ecclesiastici fundamenta evolvet, florenos annuatim Poloniales Trecentos, Professori Poëseos et Syntaxeos florenos Ducentos Quinquaginta annuatim. Professori Grammaticae, quae ex vi nominis et re ipsa est Literarum Scientia, Juventutem à primis Grammaticae Rudimentis, usque ad bonam Constructionis seu Syntaxeos intelligentiam erudienti, florenos annuatim Ducentos Polonicos salvis Eidem aliis obventionibus, si quae aliunde Eidem soleant provenire, cum obligatione semel in Anno tempore beneviso, convenientius tamen videretur circa dies Bacchi, alicujus Dramatis propter Exercitium Juventutis publicum alternatim per Excellentissimos Professores, exceptis Juris et Philosophiae Professoribus, remonstrandi; pro cujus actus necessitatibus subministrabuntur à Dominis Provisoribus florenos Polonicos Centum. Quae Salaria Nobiles Provisores de mente Praenobilis Magistratus dicti ac constituti, quartualatim per partes, finitis singulis Quartualibus exsolvent. Jam vero pro victualibus sive communi mensa Professorum, exceptis necessitatibus

cessitatibus

cessitatibus culinae, pro Persona singulorum Professorum per florenos ducentos Polonicales anticipative, praeterea pro refectionibus Festis Solemnioribus, praesertim quibus Confessiones excipiuntur, annuatim florenos Centum assignantur, in summa pro quinque Professoribus florenos Mille Centum Polonici: Item pro necessitatibus culinae, utpote lignis, candelis vasisque culinae conservandis, ac pro servitoribus communibus, tam mensae quam culinae, ac etiam totius Domus Professorum Residentialis florenos Quadringentos Polonici. Pro vialibus annuatim penes Nobiles ac Spectabiles Dominos Provisores Ducentos, et pro praemiis diligentiorum Studiosorum florenos triginta Polonos. denique pro Visitatore intra triennium Scholas Culmenses semel visitante florenos Polonici Quadraginta singulis annis reservandos, ut ex illis per triennium Summa Centum Tynfonum proveniat offert, et praesentibus inscribit, prout Actis suis obtulit et inscripsit. Quod totum Universitas Cracoviensis Nomine Professorum suorum nunc et pro tempore in eadem Academia Culmensi laborantium acceptat, et Authoritate sibi competenti approbat et ratificat.

# Statutum 2dum

## De Jurisdictione Rectoris sive Directoris Academiae Culmensis Ejusdemque Authoritate & dependentia

Quoniam Rectoris sive Directoris et Professorum per Universitatem Cracoviensem Electio et subministratio de anno in annum, sive de triennio in triennium appromissa, declarata et statuta dignum est, ut toto tempore mansionis suae in Academia Culmensi Jurisdictionem Magnifici Rectoris ac totius Universitatis Cracoviensis super se recognoscant, et illi subsint, alto Jure, immediate autem Rectorem sive Directorem Scholarum Loci pro suo Capite, Praenobilem Magistratum Culmensem et Provisores ab eo Electos et constitutos pro suis Patronis, quibus Jure naturae specialis observantia debetur, habeant et recognoscant. Quo vero ad Jurisdictionem Spiritualem sive in Spiritualibus, de hac ne minimum in praesenti, Statui aut innovari debet, vel potest, cum haec Sacris Canonibus per Ecclesiam definita, semper in suo tenore servari, ac observari debeat, ac irrelutanter pro ratione Loci et temporis manuteneri. Rector itaque sive Director Academiae Culmensis, qui primus inter Professores per Magnificum Rectorem ac totam Universitatem Cracoviensem, uti gremialis et Incorporatus ejusdem Universitatis Cracoviensis Professor Collegiatus eligetur

et specialiter constituetur, habebit Jurisdictionem omnimodam tam in
Professores se inferiores, quam in Juventutem Scholarum Culmensium,
quisq́ vero Professor, in alumnos Scholæ suæ Discipulos, talibus
Magistris ordinariè competentē salvo recursu in negotiis gravio=
ribus ad Rectorem sive Directorem aut cum hoc ad Prænobiles
Provisores, totumq́ Magistratum Culmensem tanquam Patronos,
necnon Magnificum Rectorem Universitatis Cracoviensis, si ita ar=
duitas negotii Personam alicujus Professoris tangens postulave
rit. In Professorum, diligentias, mores et Labores Scholasticos
Rector sive Director ab Universitate electus, primam et im=
mediatam introspectionem et animadversionem habebit. Non re=
spondentes Vocationi et Officiis suis monebit, juxta Statuta in=
fra specificata, incorrigibiles Magnifico Domino Rectori Uni=
versitatis Cracoviensis deferet, simulq́ Nobilibus Dominis
Provisoribus innotescere faciet, curandum esse Professorem aliū
vel alios ex dicta Universitate mittendum vel mittendos, in locū
amovendi sive amovendorum, ex ratione finiti sui triennii v
alias ob causas, rationabiles, tam Magnifico Domino Re=
ctori, quàm Nobilibus Dominis Provisoribus revelandas,
ac sinè omni suspicionis ac irrealitatis nota deferendas Qui=
quidem Rector sive Director tempore competenti et bene vi=
so in examen promovendorum studiosorum cujuscunq́ Scholæ
tam per se, quàm per coassumptum Collegam Professorem Aca=
demicum, more Classium Novodvorscianarum Cracoviensiū
introspiciet, ne minùs capaces altiùs promoveantur Liberū
tamen hic erit Prænobili Magistratui, per suos Nobiles Pro=
visores in profectum Studiosorum præter functiones publi=
cas, quas Studiosi obibunt, etiam privatim introspicere (mo=
quod absit.) si Rector sive Director Scholarum in his re=
missus fuerit, nec aliunde de profectu Studentiū etiā Præno=
bili Magistratui constiterit.

# Statutum 3tium

## De Officiis et obligationibus Professorum

Neovenientes Professores, sive Professor ad docendum Scholas
Culmenses, ante inchoationem suæ Professionis Literas pate=
tes Patentes cui opportuerit exhibebit, Cathedram Scholæ ascen=
surus, Fidei Professionem (: præmissa brevi præfatione :) emittet, juxta
Bullam Pii IV in Constitutionibus Provincialibus expressam, qua
præmissa statim se accinget, Officiis Scholasticis, et quoniam i=
nitium Sapientiæ est Timor Domini, ideo semper ante inchoa=
tionem.

tionem Studiorum quilibet Professorum in sua Schola Antyphonam Veni Sancte Spiritus, et Litanias Lauretanas cum Juventute recitabit. Scholæ convenientia præcepta tractabit, doctrinam clare elucidabit, de diligentia inquiret, et profectui Juventutis serio attendet, ac imprimis ejusdem Academiæ Culmensis Juris Professor singulis diebus hora matutina Septima Lectionem propriam, quam ita distribuet, ut per triennium ectradat Regulas Juris, Jus Canonicum, et Processum Fori Spiritualis. Philosophus vero hora Octava ad mediā decimam Imo et 2do Anno incipiendo à Logica Minore, ad majorem procedendo, postea Physicam, Meteorologiam, Animasticā, demum Metaphysicam, pro tertio Anno Moralem Philosophiā reservando. A meridie vero, terminos Juridicos, Jus Civile Romanum, cum observationibus de Jure Regni, præsertim Provinciæ Pruthenicæ et Civitatis Culmensis ad Titulos accommodatis, et Processum Juris Civilis semi hora secunda, Philosophus vero Philosophiam eo modo ut mane à semi hora tertia ad quartā pertractabit et explanabit. Præterea ad publicas et Lunares Disputationes uterq obligabitur, ita ut tam Juris, quam Philosophiæ Professor per unam quolibet Anno publicam disputationem, Lunares vero Juris Professor his mensibus, quibus melius expedire judicaverit. Philosophus autem in Januario, Februario, Junio, Septembri et Novembri absolvant. Qui quidem Juris Professor, si simul fuerit Rector (: id enim Officii Rectoralis erit:) Visitationes Scholarum et Studiosorum, quoties opus fuerit, et voluerit, peraget, tum Diligentias Discipulorum examinabit, revidebit, et in illas serio introspiciet, Catalogum omnium Studiosorum ex Scholis singulis, item Album Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ conscriptum, secundum morem et consuetudinem Universitatis Cracoviensis præsto habebit. Cæteri vero Scholarum inferiorum Professores sua supra specificata Studia consuetis horis, seu tempore in ibidem servari solito, diligenter expedient Authores Classicos, præsertim Historicos, Poëtas, Geographiam Arithmeticam, et alios Authores quisq Professor pro utilitate et capacitate suæ Scholæ congruos tractabit et explicabit, idq methodo in Universitate Cracov: servari solita, spectando ex his omnibus incrementum Studii, profectum et emolumentum Juventutis in Scientiis

# Statutum 4tum

## De Pietate promovenda.

Siquidem Pietas est ad omnia utilis, ideo hanc omni conatu promovere ac servare tenebuntur. Hinc singulis diebus Missæ Sacrificium finito Studio media hora decima celebrandum per Rectorem, sive alium quemcunq Presbyterum, seorsivo tamen stipendio, nempe florenis Centum per Nobiles Dominos Provisores determinato obligandum devote audient. Diebus vero Dominicis et Festivis Officium parvum de Beata Virgine Maria ordine suo Excellentes Prfres cum suis Alumnis, et primas Vesperas in suo Oratorio decantabunt

rio decantabunt. Finito tali Officio, Missae et Concioni in Parochiali Ecclesia intererunt. Confessiones singulis Mensibus, signanter Festis Salvatoris et Beatissimae Virginis Mariae cum Juventute absolvent. Solemnitatem Immaculatae Conceptionis et B. Joannis Cantii distinctiori devotione celebrabunt, Orationes publicas alternatim per omnes Excellentes Professores componendas, et per Rectorem corrigendas, iisdem duobus Festis, praeter Orationes sub tempus dierum Festivorum SS. Thomae Aquinatis apud P.P. Dominicanos, et Bonaventurae apud P.P. Franciscanos, si Studia ibidem pertractentur, pro Literis vero, duntaxat per trium inferior. Scholarum Professores. Catechismum in suo Oratorio singulis diebus Dominicis hora prima pomeridiana propter Discipulos suos per turnum peragent. Excellentes Domini Professores Scholarum humaniorum, servata semper seria animadversione super devote peragendis Confessionibus, ad Processiones, si pro aliqua ce Solemnibus vel Solemnissimis invitati fuerint Excellentes Profres, cum Rectore, tunc more Academiae Posnaniensis in habitu Academico intuitu loci competentis et temporis assistent, iisdē Juventutem vero inferiorem ad obsequia Ecclesiastica, uti Missas Processiones, juxta dispoōnem Rectoris Scholarum ordinabunt et disponent. Dialogum sive Dramma aliquod pro loci consuetudine et temporis opportunitate, habito ad id florenis Centum Polonic: sumptu à Nobilibus Dominis Provisoribus dando, alternatim praeter Rectorem et Philosophum, aut cui ex alacritate placuerit, repraesentari Excellentes Profres per turnum desuper fine publici exercitii curabunt.

# Statutum 5tum

## De Salariis, Victu, Mansione, Vialibus et reliquis.

Quoniam omnis Operarius dignus mercede sua, et qui sentit onera, debet sentire et commoda, ideo laborantibus his quinque Magistris proportionalia stipendia determinantur. Nempe ut supra Statuto primo. Professori Jus Utrumque legenti florenos Polonic: in vim Salarii Quadringentos. Professori Philosophiae floreni Polonic: Quadringenti, et his qui erit Rector, Eidem pro Rectoratu floreni Centum assignantur. Professori Rhetoricae et Dialecticae floreni Trecenti. Professori Poëseos et Syntaxeos floreni Ducenti Quinquaginta, Professori Grammatices floreni Ducenti Polonicales assignantur. Pro victu annuo his omnibus quinque Profribus, tam pro refectionibus floreni Mille Polonic: et Centum, in manus Praepositi per Convocationem Domus singulis Quartualibus eligendi vel reeligendi. Nobiles Domini Provisores, idque Quartualatim, meliorationi viam non praecludendo, anticipative enumerabunt. Qui Praepositus ex supra expressa summa.

pro victu.

pro victu et refectionibus assignata mensam communem pro honestate et commoditate Professorum providebit. Quolibet Quartuali rationem de perceptis et expensis coram Clarissimo Rectore suo Directore & Excellentibus Professoribus in Convocatione daturus. Pensiones vero seu Salaria annua in manus Ejusdem Praepositi Domûs, in praesentia alterius Profris, non anticipative sed in tempore finito quolibet Quartuali reponent et exsolvent, nulla temporum calamitate, aut hostilitate, quae Studiorum Cursum non impediret, et supposito quod Coloni Villarum Academiae Censum competentem solvere non potuerint, obstante. Insuper Nobiles Domini Provisores, tenebuntur ad reparationem totius aedificii seu Collegii et mansionum Professoralium, provisionem Librorum pro usu Academiae, comparationem utensilium de novo ad mensam et Culinam requisitorum, distinctis expensis, nec summam supra scriptam afficientibus providere, ac procurare semel pro semper tenebuntur. Pro Vialibus ut supra annuatim percipient Excellentes Profres florenos Ducentos Polonicos idque si finito triennio Professor redeat, aut si nondum finito triennio Profr ex arbitrio tamen Nobilis Magistratus /: communicato prius Consilio cum Magnifico Domino Rectore Universitatis Cracoviensis pro tempore existente, et propositis justis causis :/ revocatus fuerit, stipendio viali, juxta mensuram et proportionem temporis quo commorabitur in Academia Culmensi praemiabitur. Quodsi vero sua sponte ante triennium recesserit, iisdem Vialibus non gaudebit.

# Statutum 6tum

## De Providentia Subsidiorum et Promotione Subjectorum.

Academiae Culmensis in Alma Universitate Cracoviensi declarat se et obligat Alma Universitas Cracoviensis ex Academia Culmensi Subjecta capaciora quae scilicet Cracoviae Scholas continuare desideraverint et voluerint ad Almam Universitatem suam suscipere et acceptare, verum tantummodo nativa ex Palatinatu Culmensi, recommendatione Nobilis Magistratûs et Academiae Culmensis antecedente, eaque Subjecta in Contuberniis et Bursis suis collocare, et quantum possibilitas fuerit, subsidiis solitis vulgo Burkanami pro victu et subsistentia corum sustentare, ac praeterea ad Licentiaturas, Baccalaureatus et Doctoratus promovere, quod si de eo meriti aut capaces fuerint.

Statutum 7mum

# Statutum 7mum

## De Labore Scholastico Professorum Academiæ Culmensis.

Excellentum Professorum Academiæ Culmensis Labor Scholasticus et Eorum impensa studiorum cadat pro merito in Alma Universitate Cracoviensi prouti in ibidem Operam Studiorum tractâssent

# Statutum 8vum

## De modo et ratione boni regiminis interni

Quia quod à pluribus quæritur, faciliq invenitur, propterea statuimus, quatenus Clarissimus Rector sive Director pro tempore existens nihil pro suo arbitrio faciat, sed circa id sensu Excellentum Professorum exquirat, ac ad eum finem quoties opus fuerit Convocationes extraordinarias faciat, Ordinaria autem Convocatio ad initium sui Magistratus, die et hora Lectionibq necnon Studio Scholastico non impedita peragatur, in qua Præpositus Domus et Præfectus Bibliothecæ eligat vel reeligat, necnon Orationum publicarum pro toto Annô inter Professores distributio fiat, et per quem Prfrum Dialogus sit expediendus determinet, et hæc quolibet Anno repeti debet ad initium Anni cujuslibet.

# Statutum 9num

## De Custodia et Clausura Academiæ

Quia Domus unicuiq debet esse tutissimum receptaculum, ideo statuimus, quatenus nocte adveniente, ne aliquis manentium in Academia damnum patiatur fores ejus hyeme horâ 6tâ, æstate hora 9nâ claudantur, neq per diem patula, omnibus fiant, nihilominus si aliquem Professorem post Clausuram Domûs aliquando morari contingat, Eidem pulsanti aperiatur, et ut tempestive in posterum veniat per Clarmũ Rectorẽ sive Directorem moneatur Et si monitus ab his non destiterit ac sine rationabili causa divagatus fuerit post tertiã monitionem Canonicam Magnifico Domino Rectori, et cui opus fuerit deferatur

# Statutum 10mum

## De Moribus & honesta Conversatione Studiosorum

Quoniam.

Quoniam non auri vestitusq́ pompa, sed boni Christianorum mores sunt verus ornatus, ac ideò boni mores excedunt divitias, ac ipsis prævalent Nobilitati; Propterea statuimus, ut amore doctrinæ ad Scholas Culmenses congregati Juvenes, in moribus optimis se exerceant, honestatem sectentur, in-honestas conversationes velut pestem fugiant applicationem seriam ad Studia Literarum adhibeant, Scholas frequentent, divagationes, rixas, altercationes & alias ejusmodi Inconvenientias evitent, quas si quis ex illis fecerit, & huic Statuto non obedivérit, pro primo moneatur, pro secundo Scholastici puniatur, et pro tertio tanquam Ovis scabiosa, ne totum inficiat corpus de gremio Studiosorum expellatur. Præstat enim paucos Studiosos, eosq́ bonos, quàm numerosā malorum multitudinem haberi

# Statutum XIImum

## De Obedientia Alumnorum & Observantia Professor.

Quiā Parentibus habemus ut vivamus, à Præceptoribus verò ut bene et virtuosè vivamus, ideò illis exemplo Attili Reguli non secus ac Parentibus debemus esse obligati, statuimus igitur, & sub pœnis arbitrariis præcipimus, quatenus omnes et singuli Studia in Academia Culmensi tractantes, Legis præfatæ memores, Professoribus et Præceptoribus suis ubiq́ locorum in obsequendo, stando, sedendo, monitis obtemperando, & in aliis debitam observantiam exhibeant. Præceptoris enim Persona debet esse Discipulo Sancta, et honesta, sicut Filio et Liberto Persona Patris & Patroni

# Statutum XIIImum

## De Lectura & Observatione Statutorum

Quoniam Statuta non ligant probabiliter ignorantes, propterea Clarissimum Dominum Rectorem sive Directorem Qui pro tempore fuerit, obligatum haberi necesse, quatenus superiùs descripta Statuta pro ratione Personarum divisim, tam Excellentibus Professoribus, quàm Alumnis, sive singularum Scholarum Studiosis, præsertim provectioris ætatis & ingenii, quoties et ubi opus fuerit, legi faciat, et ad observantiam eorum verbô et exemplô permoveat, Leges enim et Statuta observari, non verò Specie tenus haberi debent

# Appendix

Si autem ex aliqua Loci, temporis, aut novæ materiæ Circumstantia emergere aliquid contigerit qd Excellentes Profres sive Eorum Officia & Obligationes, Jura ac Privilegia Personalia afficere posset, extunc de illa unquam re Nobiles Domini Provisores, sive quicunq́ alius, Eosdem attentabunt molestare, sed ad Magnificum Dnũ Rectorem ac Universitatem Cracoviensem, super materia emergenti se referent, et Ejus resolutioni acquiescent Interim Universitas consulendo

Literarum ac Scientiarum incremento, quibus Regna & Urbes florent, Cultus & Gloria DEI augmento, ac Juventutis in Academia Culmens educationi hanc immutabilem Ordinationem una cum Magistratu statuit, decernit, ac subscribit perpetuò observandam Ut verò hæc omnia firma, & stabilia, eaq perpetua sint, Authoritati Illustrissimi Loci Ordinarii Reverendmi Capituli Utraq Pars ad approbandum subjecit.

Professores interea docentes

Rector Collega Minor

M. Franciscus Masierski. J. U. Professor.

Philosophus.

M. Petrus Rydulski.

Rhetor

M. Nepomucenus Gaworski Geometra Juratus

Poëta.

M. Jacobus Szpądrowski.

Grammaticus.

M. Josephus Marciehowicz